



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris
Petri Marchantii**

Zurmöllen, Heinrich

Neuhusii, 1677

Art. 2. Ad quid teneatur Parochus in Sacramentorum administratione

urn:nbn:de:hbz:466:1-9734

culi fidei, præcepta Decalogi, usus dignus Sacraementorum, modus Deum colendi & orandi, peccata capitalia, opera misericordiæ, quæ non tantum debent proponi, ut ex memoria discantur, sed ut juxta cuiuslibet capacitatem intelligantur, ac eis in bene vivendo anima informetur, possitq; distinguere inter bonum & malum, alia sunt specialia uniuscujusque status: ut nuptis Matrimonij obligationes, innuptis Castimoniam, filijs obedientiam ad parentes, parentibus debitam curam prolium, obligationes servorum ad Dominos & Dominorum ad servos &c. non tamen tenetur habere Conciones oratorias juxta eloquentiæ modos, sed sufficit & utilius est, simpliciter, & sine phalerata eloquentia annuntiare quæ sunt ad salutem necessaria.

Articulus Secundus.

*Ad quid teneatur Parochus in Sacra-
mentorum Administracione.*

I. **N**on tractatur hic de Ministerio Sacramenti pænitentiæ, Matrimonij,

monij, Extremæ unctionis, de illis enim suis locis fiet mentio, sed solum de administratione Baptismi, ad cuius legitimam administrationem in parocho requiritur. Ut norit & vigilanter adhibeat ea quæ sacramento sunt essentialia, nimirum: aquam naturalem, sive sit sacri fontis Baptismatis aut alias Benedicta, sive in casu importuno non Benedicta. Et formam: ego te Baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus S. Amen. Et etiam ut intentionem actualem vel virtualem habeat conferendi Baptismum.

2. Aqua naturalis seu Elementaris est materia sufficiens & necessaria ad Baptismum: sicut & aqua alterata sive mixta, quamdiu non pervenit ad tantam mixtionem & alterationem ut naturam aquæ mutet. Unde excluditur omnis alia aqua quæ elementaris non est: ut Rosacea aut ex quolibet corpore arte extracta: hinc paratâ materiâ certâ, dubiam adhibere, sacrilegium est.

3. Applicatio vero Materiæ sive aquæ, quæ est materia proxima, debet fieri per im-

immersionem, aspersionem, vel infusio-
nem, ita ut fluere intelligatur & fluide ali-
quam partem corporis attingere: hoc in-
dicat verbum Baptizo quod saltem ordi-
nem ad aliquam intinctionem vel ablu-
tionem dicit. Hinc ubi probabilis tantum
aspersio facta est, & supervivat proles, de-
bet sub conditione rebaptizari, Baptismus
enim, cum sit sacramentum necessitatis,
debet esse certus.

4. Forma etiam debet integre pronun-
ciari: si tamen ob Balbutiem vel ignoran-
tiam aliqua particula omittatur, mutetur,
vel incongruitas contra latinitatem com-
mittatur, quæ substantialem sensum non
variet, Baptismus verus est.

5. Deinde obligatur parochus, ut ritus
ab Ecclesia institutos in solemini Baptismo
observet, & vigilet, ut infantes tempestive
baptizentur, & ut obstetrices fideles &
piæ, ac probæ vitæ in parochijs adhibeantur,
quæ essentiali ritum baptizandi soli-
de noverint, ut in necessitate rite baptizare
possint.

Arti-